

**Ad virum clarissimum Ric. Mead, M.D. epistola, varias lithontripticum  
Joannae Stephens, exhibendi methodos indicans / [David Hartley].**

**Contributors**

Hartley, David, 1705-1757.  
Mead, Richard, 1673-1754.

**Publication/Creation**

Bathoniae : T. Baddely for J. Leake, etc., 1751.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eu6mg5bf>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

A D

VIRUM CLARISSIMUM

RIC. MEAD, *M.D.*

EPISTOLA,

V A R I A S

*Lithontripticum Joannæ Stephens,*

EXHIBENDI METHODOS

I N D I C A N S.

A U C T O R E,

DAVIDE HARTLEY, *A.M.*

---

*BATHONIÆ*: Typis T. BODDELY.

Prostant venales apud J. LEAKE & G. FREDERICK, Bibli-  
opolas *Bathonienses*; & M. COOPER *Londinensem*.


---

M.DCC.LI.



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library





# B O O K S

*Sold by* J. LEAKE *and* W. FREDERICK,  
*Booksellers in Bath.*

1. **A** View of the present Evidence *for* and *against* Mrs. Stephens's Medicines, as a Solvent for the STONE; containing 155 Cases, with some *Experiments* and *Observations*. By D. HARTLEY. *pr.* 2 s.


2. An Account of some *Experiments* and *Observations* on Mrs. Stephens's Medicines for *dissolving* the STONE; wherein their *dissolving Power* is inquired into and shewn. By ST. HALES. D. D.

To which is added a SUPPLEMENT to *The View of the present Evidence, &c.* being a Collection of some Particulars relating to the *Discovery* of these Medicines, their *Publication, Use,* and *Efficacy*. By D. HARTLEY. *pr.* 1 s. 6 d.

3. DE LITHONTRIPTICO a Joannâ Stephens nuper invento Dissertatio Epistolaris, Auctore D. HARTLEY. *Ed. Sec.* Cui adjicitur Methodus exhibendi Lithontripticum sub formâ commodiore. Accedunt etiam conjecturæ quædam de Sensu, Motu & Idearum Generatione. *pr.* 1 s. 6 d.

4. *Observations on* MAN, his *Frame,* his *Duty,* and his *Expectations*. 2 Vol. 8vo. By D. HARTLEY. *pr.* 10 s. 6 d.





B O O K S

Sold by J. LANE and W. FREDERICK,  
Booksellers in Bath.

**A** View of the present Evidence for and  
against Mrs. Stephens's Medicines, as a  
Solvent for the Stone; containing 155 Cases,  
with some Experiments and Observations. By  
D. HARTLEY. 8s.

2. An Account of some Experiments and Ob-  
servations on Mrs. Stephens's Medicines for disso-  
lving the Stone; wherein their dissolving Power is  
inquired into and shown. By ST. HALES, D. D.  
To which is added a SUPPLEMENT to the View  
of the present Evidence, &c. being a Collection of  
some Particulars relating to the Discovery of these  
Medicines, their Publication, Use, and Efficacy.  
By D. HARTLEY. 8s.

3. De LITHONTRIPICO a Joanne Stephano  
super invento Dissoluto Epistolaris, Auctore D.  
HARTLEY. 8s. Cui adjicitur Methodus  
exhibendi Lithonipicum sub forma conmodiore.  
Accedunt etiam conjecturae quaedam de Sentu, Motu  
& Idearum Generatione. 8s.

4. Observationes ex MANU, his Tractatibus, his Dutibus  
and his Expectationibus. 2 Vol. 8vo. By D. HART-  
LEY. 8s.

---

VIRO CLARISSIMO

RIC. MEAD, M.D.

D. HARTLEY,

S. P. D.

**C**UM primùm ea, quæ in Lithon-  
tripticum *Joannæ Stephens*, &  
in illud sumptu publico redi-  
mendi auctores, nuper dixisti, † perlege-  
rem, incertus hæsi, quid mihi factò opus  
esset: An omnia denuo ad trutinam re-  
vocarem, & evincerem, si modò penfi-  
tentur ipsius morbi natura gravis & per-

---

† Monit. & Præcept. Med. Cap. 10.



tinax, atque remedii moles necessaria, *noxas fallaciamque* nihilo plùs Huic objici debere, quàm Opio, Mercurio vel Cortici Peruviano, nunc quidem probatissimis, sed olim pro exitialibus habitis, idque a viris celeberrimis; an potiùs quicquid haberem, silentio premerem, ne fortè quod Tibi, mihi que molestum, nemini fatis acceptum foret.

MEDIUM tenere cursum tandem institui. Breviter nimirum, atque uno intuitu, ob oculos ponam varias Lithontripticum exhibendi methodos, quas me jam docuit experientia plùs fatis cumulatà; adjungamque insuper monitiones, vel unicuique methodo proprias, vel ad universas simul pertinentes; omni tamen altercatione procul habitâ. Sic utique, si quibus hoc gratum futurum sit, lumen de meo lumine accendam, officioque in focios doloris, quod mihi demandavit Summus rerum Arbiter, pro virili defungar; neque tamen vel Tibi, vel probo cuivis, inopportunos, uti spero, videbor.

Illud



Illud interea tanquam inopinatum, & ab æquitate tuâ alienum queri liceat, T E, qui in obvios quoscunque comis & urbanus esse, bene autem merentibus de re medicâ, vel etiam literariâ quâvis, summâ cum benignitate favere soleas, in Lithontriptici Fautores acerbiùs invectum fuisse; & non potiùs laudi illis dedisse, quòd Arcanum sine pretio vulgatum Virorum dignitate, fide, ingenio, artis nostræ peritiâ illustrium examini subjecerint, neque aliam viam ad præmium reportandum aperiri voluerint, quàm quæ, veris licèt rerum Inventoribus facilis & munita, Jaculatoribus tamen & Falsoquis esset impervia.

## METHODUS PRIMA.

EXHIBEANTUR drachmæ tres calcis ex liquido conveniente, & uncia duæ saponis in aquæ sesquilibrâ coquendo solutæ, quotidie.



**METHODUS SECUNDA.**

EXHIBEATUR calx eodem modo, sapo autem sub formâ cylindrorum mollium.

**METHODUS TERTIA.**

CONTUNDANTUR partes tres calcis, partes sedecim saponis in massam mollem, adjectâ aquæ quantitate sufficiente. Exhibeatur eadem quantitas calcis & saponis, ac in methodis præcedentibus, sub formâ cylindrorum mollium.

**METHODUS QUARTA.**

DILUATUR hæc massa, aquâ denuo adjectâ, ad consistentiam electarii mollis, & exhibeatur hujus electarii quantitas proportionalis, in cerevisiâ tenui soluta.

**METHODUS QUINTA.**

DILUATUR aquâ ulterius ad consistentiam cremoris lactis, & exhibeatur hic cremor per se, quantitate itidem proportionali.

METHO-



## METHODUS SEXTA.

EXHIBEANTUR calcis, falis fixi alkalini, singulorum drachmæ tres ex lacte, vel cremore ejus, quotidie.

## METHODUS SEPTIMA.

EXHIBEANTUR unciaë duæ saponis sub formâ cylindrorum mollium, & libræ tres vel quatuor aquæ calcis ex testis ostreorum paratæ, paululo lacte admixto, quotidie.

## MONITIONES.

CALX, quâ usa est *Joanna Stephens*, confecta fuit e testis ovorum. Calx verò testarum ostreorum usui accommodatior est, utpote parabilior. Testæ enim ovorum aperto igni commodè exponi non possunt, sed crucibulo includendæ sunt, ideoque plus temporis ad calcinationem perficiendam requirunt. Testæ ostreorum detinendæ sunt in igne vehementi per horas tres vel quatuor, neque demum eximendæ



mendæ nisi igne sponte extincto. Indicia calcinationis perfectæ sunt albedo, fragilitas & sapor acer: calcis vivæ ex lapide calcario paratæ.

TESTÆ ostreorum calcinatæ exponendæ sunt aëri per mensem vel circiter, nimirum donec fatiscant in pulverem impalpabilem, qui a partibus crassioribus, non rite calcinatis, ope fetacei separandus est, atque denuo aëri exponendus, & sæpe versandus, ut mitescat. Si calx exponatur secundâ hâc vice per mensem duntaxat unum, acris etiamnum erit ut plurimum; sin per tres vel quatuor, mitis.

CALX mitescit etiam repetitis affusionibus aquæ. Quin et ex ipsis testis recens calcinatis statim parari potest calx mitis eâdem ratione. Verùm pulverandæ sunt priùs, & per fetaceum trajiciendæ. Lotione peractâ calx probè siccanda est super ignem in vase ferreo.

QUIBUS



QUIBUS organa digestionis valida sunt, & dolores in viis urinariis leves, iis convenit calx acris, quippe solvendi vi pollentior. Quibus hæc contraria sunt, calx mitis. Præstat mitissimam exhibere universis sub primum remedii usum, quò organa digestionis & urinæ sensim affuescant valentiori, & tandem valentissimæ, si visum fuerit.

SAPRO, quo ipse utor, Alicanticus est; illum enim Castiliensi & Veneto, qui in officinis vulgò prostant, aliquantò potiorrem esse arbitror. Verùm hi substitui possunt deficiente Alicantico.

METHODUS prima ferè eadem est cum illâ, quæ a *Joannâ Stephens* publici juris facta est. Liquidum conveniens exhibitioni calcis acris parari potest ex spiritûs vinosi tenuioris, vel spiritûs sacchari, parte unâ, aquæ partibus duabus, vel paulò minùs, addito si libuerit saccharo. Hujus enim liquidi vis spirituosâ acrem calcis saporem quodammodo obtundet, & ventriculum



ventriculum simul muniet. Utile porro erit superbibere paululum ejusdem liquidi devoratâ saponis solutione, cum hæc et palato ingrata sit, & fauces per aliquod tempus irritet.

INCOMMODIS jam memoratis occurritur per methodum secundam. Etenim post aliquot vices repetitas cylindrorum deglutitio peragitur facillimè, & ferè sine ullo sapore, tantillo liquidi præscripti, vel alijs cujusvis, in os assumpto. Verùm sapo probè contundendus est, aquâ adjectâ, idque repetitis vicibus per aliquot dies, ut admodum emolliatur, alioquin ventriculum gravabit.

HÆ duæ methodi virtute prorsus eadem sunt, & præcipuè conveniunt iis, qui a dolore vesicæ ferè immunes, citæ calculi solutioni unicè incumbunt. Exhiberi enim potest calx admodum acris, adeoque solvendi virtute admodum pollens, ope liquidi spirituosi, salvis interea faucibus & ventriculo. Verùm liquidum istud con-  
spirat



spirat unâ cum calce acri ad inflammatio-  
nem vesicæ augendam; quocirca dolore  
urgente neutiquam imperanda est harum  
methodorum utravis.

Si alvus nimium laxetur a methodo  
primâ, secundam aggredi oportebit; &  
vicissim redeundum est subinde ad pri-  
mam, secundâ ventriculum gravante.  
Etenim sapo solutus, utcunque palato &  
faucibus molestus, ventriculo tolerabilis  
est, imò nonnunquam acceptus & utilis.  
Tota quantitas calcis & saponis, quotidie  
sumenda juxta has methodos, non incom-  
modè dividi potest in doses tres, & sapo  
secundæ methodi formari in cylindros  
quindecim, ex utrâque extremitate parum  
acuminatos, & longitudinis duorum digi-  
torum transversorum. Licet autem ægroto  
de his, ut et de temporibus assumendi,  
statuere pro libitu, cum totus rei cardo  
in eo versetur, ut quantitatem justam in-  
gerat; quâ scilicet urina abunde & per-  
petim inficiatur virtute solvente calcis &  
saponis.



POSSUNT quidem hæ methodi accom-  
modari iis, qui dolore calculoso admodum  
vexantur, si nimirum calx mitis exhibea-  
tur e cerevisiâ tenui vel mediâ; cerevisia  
enim et dolores lenire solet, & calci miti  
obtundendæ sufficiet. Sic et vinum al-  
bum, vel purum, vel aquâ commixtum,  
erit pro vehiculo satis idoneo calci miti.  
Ægrotis autem hujusmodi potius expedit  
alicui ex tribus methodis insequentibus  
insistere.

IN methodo tertiâ, magis etiam quàm  
in secundâ, sedulò & vicibus quàm pluri-  
mis repetitis, per aliquot item dies, con-  
tundendus est sapo cum calce, ut massa  
lithontriptica mollissima sit; aqua verò  
addi debet donec massa ferè duplo pon-  
derosior sit sapone, qui ipsam ingreditur.  
Porro si calx acris adhibeatur, massa aëri  
exponenda est, & sæpe versanda, per  
mensem vel ultra, ut hæc ratione calx  
mitescat; mitescet autem citiùs in massâ  
lithontripticâ propter ejus humiditatem,  
quàm per se. Hæc nisi rite observentur,  
cylindri



cylindri e massâ istâ formati statim durefcent, & proinde ventriculum gravabunt, sitimque movebunt; vel si admodum durefcent, per intestina transibunt integri; quæ tamen singula si præcaveri possint (possunt autem sæpenumero ratione habitâ cautionum præscriptarum) omnium præstantissima invenietur hæc methodus tertia, utpote nausææ prorsus expers. Quantitas massæ lithontripticæ quotidie sumenda formari potest non incommode in cylindros viginti, & horum quinque deglutiri facillimè quater quotidie.

FATENDUM quidem est et calcis et saponis vim solventem imminui expositione massæ, sed compensatur hæc imminutio lenimine dolorum exinde orto; namque sapo perinde ac calx, et virtute debilior fit, & nî multùm fallor, doloribus calculosorum leniendis aptior, accessu aëris libero. Quocirca, ubi dolor gravis urget, massa omnino exponenda est, & sæpe versanda, per septimanam unam vel alteram, ut ut calx priùs mitigata fuerit. Quòd si hæc



virtus anodyna massæ lithontripticæ ab  
 ejus expositione ortum ducens, mihi olim  
 satis perspecta fuisset, sævos illos cruciatus,  
 qui me nuperis annis invasere, multò ma-  
 turiùs, ut opinor, compescuiffem. Porrò  
 fieri potest, & fiet, uti spero, futurâ Me-  
 dicorum solertiâ, ut methodus quemvis  
 calculosorum dolorem notabilem demul-  
 cendi ex hoc fonte derivetur. Imò non  
 est dubitandum, quin maximi progressus  
 in calculo tum allevando, tum extirpando,  
 jamdudum facti fuissent, si modò Tu,  
 Vir Clarissime, cæterique medicinæ An-  
 tistites, Lithontriptico corrigendo & per-  
 ficiendo operam dedissetis.

Si cylindri lithontriptici gravent ventri-  
 culum, vel ob aliam quamvis causam mi-  
 nùs placeant, recurrere oportet ad electa-  
 rium vel cremorem. Horum sapor non  
 admodum ingratus est, si vel massa ex  
 quâ confecta sunt, vel ipsa postea sub for-  
 mis propriis, aëri satis exposita fuerint;  
 eritque eò minùs ingratus, quò minùs  
 perfectè solvitur electarium, vel in cere-  
 visiâ



vifiâ tenui, vel in aquâ ad cremorem conficiendum. Fruſtula enim electarii non ſoluta vix feriunt palatum. Cremor oculo magis arridet, quàm ſolutio electarii in cerevifiâ tenui; cerevifiâ autem abolet ingratum ſaporem electarii magis quàm aqua, quâ diluitur in cremorem. Hinc patet remedium methodi quartæ ſtatu valentiori ingeri poſſe, quàm remedium quintæ. Quòd ſi electarium ſolvatur in aquâ paululo vino dulci commixtâ, erit mediſ ſaporis inter electarium in cerevifiâ tenui ſolutum & cremorem. Si horum quodvis ventrem nimis ſolvat, recurrendum eſt ſubinde ad cylindros lithontripticos. Quantitas electarii ſoluti, vel cremoris quotidie ſumenda dividi poteſt in tres doſes, menſuram libræ dimidiæ continentes, vel paulo minùs, ſi conſiſtentia ſit ſpiſſior.

DUM hæc ſcribo occurrit mihi alia methodus parandi maſſam lithontripticam, quam Pharmacopolis ulterius probandam commendo. Liquentur ſuper ignem un-

ciæ



ciæ sedecim saponis in vase ferreo stannato, aquæ quasi librâ adjectâ, liquatæ effundantur in mortarium marmoreum, & probè misceantur cum calcis unciis tribus. Sic e vestigio fiet massa lithonriptica mollissima, quæ deinde dilui potest in electarium & cremorem. Possunt etiam hæc singula mitigari sine morâ, aquæ affusione & super ignem lentum vaporatione repetitâ. Sapo eâdem ratione liquatus, sed aquæ quantitate minori additâ, formari potest facillimè in cylindros saponaceos methodi secundæ & septimæ; quinetiam aliis usibus medicis accommodus erit.

MEDICIS auctor sum, ut accedentibus calculosis præcipiant aliquam ex tribus methodis proximè prægressis, & multò potius caveant a remedii nimiâ acrimoniâ, quàm a nimiâ inertia. Exhibeant etiam quantitatem præscriptâ minorem. Etenim longè fatius est calculoso dolorum lenimen redimere tædio assumendi, quàm citam calculi solutionem cruciatu gravi.

Solutio



Solutio autem calculi lentè saltem procedet, ut ut leniantur dolores. Postea sensim augeri debet et vis, et quantitas remedii; atque tandem, si eo uti possit & velit æger, remedium primæ vel secundæ methodi imperari. Hæc omnia si rite fiant, nec me consilii dati, nec medicum vel ægrum accepti pœnitebit.

QUI fabuli & lapillorum fabulorum generatione, atque dolorifico deinde per ureteres transitu, vel et e vesicâ ejectione, tantùm vexantur, hæc mala certissimè præpedire possunt tertiâ, vel quartâ parte, massæ lithontripticæ præscriptæ assumptâ. Eadem porrò quantitas nonnunquam sufficit doloribus calculosorum arcendis; senum imprimis, si rectè auguror.

METHODUS sexta simplex est, nec inelegans. Constat utique remedium hujusce methodi tribus corporibus simplicissimis, & ubique gentium inveniendis, calce nimirum, sale fixo & lacte. Nec palato valde displicet, nec ventriculo  
nocet,



nocet, modò adfit justa mensura lactis vel cremoris ejus, libra scilicet dimidia pro singulis drachmis calcis & salis fixi. Sed longè minùs aptum esse videtur doloribus calculosorum leniendis quàm massa lithontriptica, electarium vel cremor, aëri prout oportet exposita. Si huic pulveri lithontriptico affundatur aqua, fiet lixivium lithontripticum, quale est notum illud *Jurini*, nisi quòd in *Jurini* lixivio calx æquetur dimidiæ tantùm parti salis fixi, uti ab experimento bis capto conjicere licet. Varia olim tentavi, quòd vehiculum huic pulveri maximè congruum invenirem, neque quidvis tunc occurrebat lacte potius, quapropter illud præcepi *Dissertatione de Lithontriptico*. Verum lactis cremor longè præstat, id quod credere par est, & nuper expertus sum. Si quis detrahat de virtute lithontripticâ hujus pulveris, eò quòd solutio salis fixi per se non multùm valeat ad calculos solvendo, repono, verisimile esse volatilitatem, hoc est, vim solventem donari urinæ a sale fixo, perinde ac a calce, pari ratione  
atque



atque hæc utraque volatilem reddunt falem ammoniacum, sicut innui in *Dissertatione de Lithonriptico*; nec non lixivium quoddam saponarium confici in primis viis, calce & sale fixo unitis. Ut taceam, virtutem lithonripticam lixivii *Furiniani* satis superque patuisse nupero exemplo, illustrissimo simul & miserrimo †; noxa verò exinde orta, me iudice, debebatur defectui vehiculi idonei investientis. Namque remedium hujusce methodi et ipse aliquoties assumpsi, & aliis exhibui quantitate supra præscriptâ, quæ *Furinianâ* multò major est, sine noxâ insequente. Porro vis ejus solvens manifestissima fuit in uno ægrotorum. Non inutile esset fortasse experiri quousque pulvis lithonripticus mitigari posset vel aquæ affusionibus & vaporationibus iteratis, vel aëris accessu diutino, manente interea virtute calculis solvendis idoneâ.

METHODUS septima ducta est ex iis, quæ a doctissimo Roberto Whytt experi-

---

† Com. de Orford.



*mentis comperta sunt, & a Te ipso utilitatis publicæ causâ memorata.* Saponis quantitas eadem est ac in methodis quinque primis; libræ autem tres vel quatuor aquæ calcis fubeunt vicem trium drachmarum calcis ipsius. An verò methodis istis solvendi vi potentior sit, an aliis nominibus potior, tandem forsan patebit, comparatione institutâ, per ægrotorum experimenta. Quantitas aquæ calcis quotidie ebibenda pluribus tædio erit, etiamsi sapor ejus ingratus paululi lactis commixtione ferè evanescat. Attamen hæc ipsa quantitas, nî fallor, dolores a calculo oriundos sæpe minuet; quamvis in me ipso expertus optato successu frustratus sim.

QUÆCUNQUE e methodis descriptis eligatur, necesse erit ut æger sibi temperet a luxu, edacitate, & vini computatione, ab aromaticis & sale conditis, ab acidis & acescentibus. Cerevisiam tenuem excipio, quanquam inter acescentia numerari possit; lenit enim tum dolores a calculo, tum irritationem a Lithonriptico acriori oriundam



dam. Idem tenendum est de liquoris cu-  
jusvis tenuis potu copioso; modus autem  
servandus est, cum et acescentia cerevisiæ  
tenuis, & copia liquorum quorumvis pota,  
minuat urinæ medicatæ vim solventem.

OPTANDUM esset, ut qui ordinatæ vic-  
tûs rationi se nolint subicere, ab hoc re-  
medio omnino abstinere, ne re infectâ,  
vel et in pejus mutatâ, & Lithonriptico  
malè culpato, cursum abrumperent, sibi  
ipsis nocivi, aliis etiam injurii,

OPTANDUM esset quoque, ut remedium  
affumentes calculis in urinâ suâ medicatâ  
digerendis operam darent. Hinc enim  
fieret, ut vi ejus solvente oculorum fide  
comprobatâ, munirentur contra rumores  
in vulgus sparsos, & temerè admissam a  
doctis indoctisque opinionem de Lithon-  
ripticorum naturâ nimis acri quàm ut ve-  
fica impune ferat; neque lentâ operandi  
ratione bene perspectâ, spem conceptam  
prorsus abjicerent propter sanationis mo-  
ram longiorem. Quinetiam simul patef-  
ceret



ceret, quid valeret regimen, aut methodus remedium parandi diversa, ad vim urinæ augendam vel minuendam; unde præcepta & cautiones practicæ, non levis forsan momenti, deduci possent. Experimenta verò in ipsam urinam medicatam instituta longo vincunt intervallo, quæcunque in varias aquas calcis, vel saponis solutiones institui possunt; sive eo consilio fiant, ut urinæ medicatæ vis solvens debitâ remedii & victûs ordinatione intendatur, sive ut dubitantibus rata sit. Neque tamen hæc sunt contemnenda.

MONENDI sunt etiam calculosi Lithon-  
 triptico utentes, ut caveant quàm maximè  
 a motu corporis nimio, in quem valde  
 proclives esse solent lenitis doloribus. Ete-  
 nim ægro exercitia solita repetente, prop-  
 ter inducias remedii usu & quiete aliquali  
 impetratas, ex improvise profiliet hostis,  
*expertus loquor*, & inflammationem ve-  
 sicæ cum spasms horrendis excitabit. In  
 tali rerum statu imperanda est quies omni-  
 moda, victus lenissimus, medicamenta ex  
 opio



opio parata, Lithontripticum mitissimum, quantitate etiam supra præscriptâ minori, tentando exquirendâ. Huic regimini favente Deo, ipse jam evasi, doloris prope modum expertus; & spero me in posterum usque expertem mansurum, si modò cautior fiam malorum præteritorum experientiâ. Imò spero me non semper mihi ipsi opprobrio, sociis autem laborantibus offendiculo futurum, sed tandem a calculo prorsus liberatum iri; quippe prodire jampridem nuclei septem, prodeuntque etiamnum indies fragmenta calculosa, parvula quidem & numero pauca, sed vera, & solutionis veræ, lentissimæ licet, documenta non convellenda.

QUEM CUMQUE verò exitum mihi dederit bonorum omnium Dator Ter Optimus, Maximus, non erit æquum ut remedii existimatio inde tollatur, utcunque imminui oporteat. Hoc interim aliorum causâ, summâ cum fide edico, me ex quatuordecim, & quod excurrit, annorum testimonio nihil hucusque colligere posse, unde pristina

tina



tina mea de eò sententiã infirmetur, Quinimo fidissimis varii generis experimentis nixus persuasum habeo, unamquamque e methodis præcedentibus et innoxiam esse (sextam non excipio cautè initam) & parem calculis quibusvis viarum urinariarum demum solvendis; etenim cùm calculi omnes ex iisdem elementis constent, omnes iisdem menstruis subijci credendum est, uti exposui in *Dissertatione de Lithonriptico* †. Profectò si vel *noxarum*, vel *fallaciæ* suspicione justâ laboraret

---

† ANALOGIA porro solutionum reliquarum postulare videtur, ut menstruum (*i. e. urina medicata*) par solvendis tot calculis, ad omnes tandem comminuendos, ut ut multùm inter se discrepantes, efficax reperiat. Aurum omne solvitur ab aquâ regiã, sulphur omne ab alcali fixo, substantia omnis animalis a lixivio saponis, resinæ omnes ab alcohole, gummi omnia ab aquâ. Quod itidem dici potest de concretis quibusvis, quorum partes coagmentantur ope gummi, resinæ, &c. dissolvantur oportet concreta illa ope aquæ, alcoholis, &c. respectivè. Jam vero prædicta corpora, tam solvenda quàm solventia, licèt eodem generali titulo comprehensa, patiuntur diversitates majores vel minores ob causas innumeras, propter quas etiam solutio promptiùs vel tardiùs perficitur. Eâdem ratione diversa sunt & calculorum & urinæ medicatæ genera, a diversis ætatibus, temperamentis & id genus aliis, originem ducentia; modus item solutionis, tempusque illi absolvendæ necessarium, magnopere variantur, tum intra tum extra corpus, uti patet ex Historiis & experimentis supra recensitis, quæ idcirco se mutuò stabiliunt, simulque Analogiæ allatæ fidem adstruunt. Attamen non est credendum, si calculus A constet ex aère sub formâ inelasticâ, aquâ, oleo, sale & terrâ,



laboraret remedium, nequaquam adduci possem, ut hanc Tibi moram facerem. Sin Veritatem mente sincerâ & studio indefesso quæsitam affecutus fuero, me Illius causam haud facilè deferturum puto.

---

terrâ, calculum B quovis horum prorsus destitui. Ideoque, sive urina medicata alcalina aërem latentem expediat, sive oleum ad se trahat, sive tendat ad falis neutrius partem acidam, illamque a terrestri falis parte diffociet, sive magnâ vi imbibita calculum difrumpat, sive horum unumquodque quodammodo præstet, (possunt enim forsan omnia cognatione quâdam inter se conjungi,) sive quævis alia sit ejus actio, verisimillimum est, eandem actionem efficacem fore ad calculos quosvis solvendo, licèt variato modo & tempore, pro variâ naturâ, & proportione mutuâ partium componentium calculi, & urinæ medicatæ. Calculus parvus I 4, granorum 21 cum dimidiò, non erat integre absumptus ab urinâ medicatâ, nisi absoluto 11 septimanarum spatio; quare, positus iisdem circumstantiis intra corpus ac in experimento 3<sup>o</sup>, calculus ejusdem generis, pendens unciam integram desideraret annos aliquot ad sui solutionem perficiendam. Laborant nonnulli per annos decem, viginti, triginta, nec tamen adest illis calculus major, quàm qui in aliis subnascitur spatio multò breviori. Ubi autem calculi generantur tardè, credibile est, augmentum fieri per appositionem elementorum minorum, atque adeo hæc elementa arctiùs cohærere inter se, juxta observatum *Newtoni*, ex Phænomenis quam plurimis comprobatum, quæcunque tandem sit cohæisionis causa. Quapropter expectari potest, ut calculi, tardè incrementales, tardè quoque decrescant; & ut, qui laboraverint per annos permultos, necesse habeant, semet tædio remediorum longiori subicere. Fieri etiam potest, ut in junioribus acidi abundantia, olei verò inopia, partim in causa sint, quòd eorum calculi difficiliùs cedant remediorum actioni. Verùm, ut tandem finem faciam, non vereor asserere, & pro asserto meo vindicando ad experientiam futuram provocare, omnes calculos viarum urinariarum plùs minùsve semper decrescere, ubi hæc remedia justâ quantitate assumuntur, cum idoneo regimine. *Dissert. de Lithonript.* In quâ Remedii vis solvens tot & tantis argumentis stabilitur, ut supervacaneum esset de eâ disputare in hâc Epistolâ.

Neque



Neque Illa me deferet, vindicem licet indignum ; sed prævalebit tandem, criminatione omni; non minùs quàm patrocínio, superior.

ADDAM multa me movere ut credam Lithonriptici usum Podagricis quàm plurimis profuturum ; imò, si ei adjungatur legitimus aquarum Bathoniensium usus, tum externus, tum internus, horum nonnullos, pro deploratis habitos, quodammodo restitui posse ; morbum verò nondum adultum sensim quidem, at tutissimè, quasi dissipatum iri.

RESTAT, Vir Clarissime, ut cum ingenuis omnibus, Tibi maximas habeam gratias pro iis, quæ in praxi medicâ apprimè utilia monuisti & præcepisti, exoptemque senectutem longam, placidam, & spei melioris non fallendæ plenam.

*Dabam Bathoniæ*

Aug. 2, 1751.

F I N I S.